

**www.e-rara.ch**

**R.P. Didaci de Baeza Ponferradiensis, Societatis Iesv Theologi,  
Commentariorvm Allegoricorvm & Moraliu de Christo figurato in veteri  
Testamento Tomi I & II [-tomus septimus]**

**Baeza, Diego de**

**Lvgdvni, M. DC. XLIV.-M. DC. LIII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-133529>

Caput XXXI. Iosue designatur Moysis successor.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

**Numer. 26.** Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur, principis nobilissimi Madianitarum. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens, Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, &c.

## § XIX.

*Parentum, antecessorumque virtutes maxime suos posteros protegere solent.*

**N**on Madianitæ soli, sed præcipue Moabitæ fuerunt, qui Israelitis pararunt scâdalum, & nihilominus Deus bellum aduersus Madianitas mandat, non aduersus Moab. Ait enim: *Hostes vos sentiant Madianita, & percutite eos, &c.* Cur non magis percutiant Moabitas? Sanè Moab præcipue fecerat scandalum illud, ipse vocauerat Balaam veneficum, & ab illo de prostituendis puellis consilium acceperat, & executioni mandauerat, dicitur enim supra: *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Quare ergo non magis debellentur, & pereant Moabitæ, vt scandali authores, quam Madianitæ? Erant Moabitæ posteri Loth, cuius intuitu Deus illos deleri non fuit passus, plurimum enim valent maiorum virtutes, vt eorum posteri malis eripiantur. Id quod ponderat, & expendit Abul. quæst. 14. in præsent. Statuens Deus omnes primæuos homines diluui submergere, quia, *Omnia caro corruperat viam suam.* Gen. 6. nihilominus integram familiam Noemi voluit referuare. Huic autem dicebat Gen. 7. *Ingrede-re tu & omnis domus tua in arcam.* Et quamuis Noe iustus erat, & perfectus, difficile fuisset, quod aliquis de familia eius nõ æque mereretur submergi, ac alij, qui submergebantur. Cur ergo integra domus Noemi sic à Deo protegatur, ne inuoluatur cum cæteris, & in culpis, & in pœnis? Duæ tunc erant generationes in mundo ab Adamo descendentes, nimirum generatio, quæ ab Adamo per Cain genus ducebat, & generatio, quæ per Sethum sanctissimum descēdebat. Et licet Sethi filij commixti cum Cainitis æqualia committerent scelera, tamen tanti maioris, parentisque virtute muniti eam protectionem habuerunt, qua non funditus perderentur, sed eorum referuaretur semen, vt seruatum est in filiis Noemi. Tantum enim valent virtutes maiorum ad posteros protegēdos. Pulchrè rem attigit D. Basil. Sel. orat. 3. fatus: *Sethi filij generis sanguine purgabatur: Caini vero posterus, neque purgandis diluuium apparabatur.* Fateor Sethi filios peccasse, dum ad Caini filias cucurrerunt, & diluuium ex Deo sollicitasse; verum ne funditus perirent ij, sed referuarentur in familia Noe, quando nullus Caini generis non peribat, habuerunt ex virtute sanctissimi parentis Sethi, cuius generis sanguine purgabatur, protegebantur, ne diluui aborberentur. Vt videas, quam felix ille sit, qui pro se habet virtutes parentum. Hinc Salomoni Idololatæ prædicatur regnum eripiendum; sed addit Dominus, 3. Reg. 11. *De manu filij tui scindam illud.* Et sic factum accidit, vt Roboamo Salomonis filio decē tribus regni eriperentur. Sed Salomon longè nequior fuit, & longe iniquiora fecit coram Deo, quam filius eius. Ille enim per mulierum delicias apostatauit à Deo, coluit illarum Deos, adoleuit in montibus Idolis incensum. Cur magis huic regnum non eripitur, quam filio eius, qui talia scelera non fecit? Ait Theodor. quæst. 35. in præsent. *In diebus tuis, inquit, non faciam hac propter David seruum meum, & manibus filij tui accipiam illud. Nam tu quidem habes patrem in auxilium; ille autem fuit priuatus paterno auxilio.* Non miror, quod in erroribus suis pereant, quibus paternarum virtutum auxilium defecit, illi autem quibus maiores fauent, propter illorum virtutes protectionem recipiunt ex Deo. Audio 4. Reg. 23. *Iosiam sanctissimum regem occisum à Rechao; Abiit Iosias vex in occursum eius, & occisus est in Mageddo, sed & Asa, qui clarissimum regnandi initium habuit, obscurum finem accepit.* Vnde ij reges alioquin præstantissimi in calamitates deuenerunt, nisi quia illis non fauebant virtutes paternæ? Ex quo D. Amb. orat. de Obitu Theodosij, huius imperatoris filios extollens ait: *Quis ergo dubitabit filijs Theodosij maxi-*

*mum præsidium fore apud Deum? Sed Iosia, & Asa parentes Abias, & Amos ambo infideles. Theodosius vero plenus timoris Dei, plenus misericordia; speramus, quod liberis suis apud Christum præsul assistat, si Dominus propitius sit rebus humanis.* Sic de paternis virtutibus non parua Dei protectio filiis adnascitur. Huc trahenda dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. capit. 11. §. 1.

## §. XX.

*Puritas Maria, & exemptio à peccato originali adstruitur.*

**S**vb eodem reatu erant Moabitæ, & Madianitæ, vt s. præcedenti vidimus, nihilominus de solis Madianitis dicit Dominus: *Hostes vos sentiant Madianita, percutite eos.* Et cur sub hac lege non comprehenduntur Moabitæ? De illorum semine venturus erat Christus, iuxta illud Isaia cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terra de petra deserti, &c.* Vbi communiter doctores in petra deserti intelligunt Ruth Moabitem, quæ fuit auia Davidis, à quo Christus. De quorum ergo semine Christus Dominus erat nasciturus, non miror, quod ij non comprehendantur in communi ruina. Id quod tradebat Abul. q. 14. in resolutione quæstionis. Ne videatur incredibile, quod Maria Virgo, vt quæ immediatus seruiuit sanguine suo conceptioni Christi, non comprehendatur communi peccati originalis ruipe. Qui non permisit Moabitas subesse diuinæ iræ, quia de illorum semine erat nasciturus; permitteret matrem suam, cuius intrauit viscera, esse vel ad momentum filiam iræ. Absit hoc à tanto Domino, non id permetteret & filius, & frater, & sponsus Mariæ, ne videretur vel à longe nocere carni suæ. Aiebat ille Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: matrem suam dilectam sororem vocat, & sponsam, ne parcat vlli dilectionis titulo, in amanda illa.* Sed cur sponsa dicitur? Vt sic omnigena sanctitas & perfectio ostendatur fuisse in Maria ab ipso conceptionis puncto; mater enim extitit à decimo quinto ætatis anno, sponsa autem semper fuit, vel in instanti primo, ne posset esse sub infectione originis. Aiebat D. Greg. Nazian. orat. 11. de sancta Gorgonia sorore sua: *Cum unum hoc ad omnia accedere cuperes, vt maritus quoque perficeretur, & sic toto corpore consecraretur ipsa, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueret, hoc quoque precibus impetrauit.* Itaque sancta femina marito in infidelitate iacente, sic afficiebatur, quasi ipsa non tota, sed diuidiata initiata esset fide, & ad Deum properaret, quapropter vehementer orabat, vt Deus maritum traheret ad fidem, vt sic integro corpore ipsa se Deo sisteret, quod & impetrauit. Et credam Mariam relictam in peccato à sponso suo diuino? An non magis horreret Iesus relictus in peccato sponso, non integro corpore, sed dimidia ex parte videri sanctissimus? Absit, quod Iesus aliquid sui imperfectum relinqueret, permittens sponsam, & coniugem amantissimam iacere in originali culpa.



## CAPVT XXXI.

Iosue designatur Moysis successor.

*Textus Historia.*

**N**STABANT expectati dies, quibus feracissimam Chanaanorum regionem Israelitæ transmissio Iordane calcarent. Et Moyses miro desiderio affectus videndi lacteos illos fluctus, quos toties populis propinatas enixe contendit ex Deo, vt sibi liceat paulisper animum in Chanaanorum campis amœnare. Respuit Deus orantem, quin illi ostendit iam iam mortem esse in ianuam, quam sibi ante possessionem promissæ terræ, apud contradictionis aquas fecerat festinare. Denuntiatione mortis non elanguit validissimus Moysis animus, sed statim filios, & cognatos, & amicos habens pro throni successore Dei consulit placitum. Erat illi fidissimus latero Iosue, tunc temporis nonaginta tribus annis natus, vnus de Ioseph posteris, Ioseph, inquam, qui de vnuerfis Israelitis bene-

meritus

Abul.

Gen. 6.  
Gen. 7.

Basil. Sel.

3. Reg. 11.

Theodor.

4. Reg. 23.

Ambr.

Aug.

Aug.

Aug.

Aug.

Aug.

Aug.

meritus in Ægypto concesserat fati. Hic igitur tantus vir & propria virtute, & officii patris designatus à Deo, præsentem Sacerdote summo Eleazaro, & vniuersa multitudine per Moysen rite in principem populi cooptatur. Sic sanctum est, maiorum officia in promouendis meritis filiis spectare.

PARS VNICA MORALIS  
in textus literam.



OSVE in præsentem leui transcurritur calamo, vt qui integra expectet commentaria, præsentia enim Moysis virtutibus datur.

Deuter. 3. Precatus sum tempore illo dicens, Domine Deus, tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem egregium, & Libanum. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi, Sufficit, &c.

§. I.

*Humilis, & verecundus exterior habitus oranti præbet orationi efficaciam.*

Ostendens Moyses qualiter pro ingressu terræ promissionis orauerit, in præsentem ait: Precatus sum tempore illo dicens: Domine Deus, tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, &c. Nihil exprimit de externo corporis habitu, quo orauit; at Exod. 16. vbi depingitur orans Moyses, nil prius dicitur, quàm: Cecidit pronus in faciem, &c. & sic sæpe alias cadens in faciem orabat. Cur ergo, cum toties oraturus in faciem prius cadebat, quasi præ verecundia non audens oculos leuare, modo non dicitur cecidisse in faciem precatus? Modo ostendebatur inefficax eius oratio; in aliis autem efficacissima erat, & ideò commendabatur à verecundo externi habitus gestu, qui non minimam tribuit orationi efficaciam. Id quod testabatur Macedonius iudex Cæsarius in epist. quam dedit D. Augustino; & est inter epistolas 51. Quippe ait: Miro modo afficior sapientia tua, & in illis, qua edidisti, & in iis, qua interueniens pro sollicitis mittere non grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, scientia, sanctitatis, vt nihil supra sit. Et hæc tantum verecundia, vt nisi faciam, qua mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse diuidem. Non enim instas, vt quacumque sollicitus volueris, extorqueas, sed quod tibi à iudice petibile visum fuerit, admones subseruiente verecundia, qua maxima difficultas inter bonos efficacia est. Orabat iudicem Augustinus, & ea verecundia specie orabat, cui nisi annueret iudex, ingenuè fateatur se esse in culpa; & sapienter addit illud de oratione verecunda: Qua maxima difficultas inter bonos efficacia est. Cui enim bono non vim inferat demissus & verecundus orantis habitus? Cum huc peruenio, non possum negare orantis publicani exemplum, quo Dominus persuadebat orationis habitum efficacis. Ait Luc. c. 18. Publicanus à longe stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Domine propitius esto mihi peccatori. Ecce tibi habitus efficacissime orantis, non audebat oculos leuare, sed percutiebat pectus suum, vbi D. Zeno ser. 5. ait: Pectus crebro percutiens, quodammodo cor suum manu verecunda castigat. Percussio pectoris ostensio erat verecundia postulantis, ex qua non miror, quod optata efficaciter consequatur. Ait enim D. Amb. lib. 1. de Abel, cap. 9. Publicanus autem predicatus est, quia à longe stans nolebat oculos leuare in cælum, sed percutiebat pectus, & ideò diuina eum prætulit sententia. Imò expressus lib. 1. Officior. cap. 18. ait: In ipsa quoque oratione nostra multum verecundia placet, multum conciliat gratia apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit publicanum, qui nec oculos audebat ad cælum leuare? Ideò iustificatur magis Domini iudicio. Nec miror, quod in Dei iudicio orator verecundus gratiam extorqueat; efficacissima enim est verecundia, vt trahat Deum. Daniel. 13. nefarii iu-

dices adduci sibi Susannam fecerunt, vt perderent eam. Et venit, inquit, cum parentibus, & filiis, & vniuersis cognatis suis. Porro Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie. At iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur (erat enim cooperta) vt vel sic satiarentur decore eius. Flebant autem sui & omnes, qui nouerant eam. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi posuerunt manus suas super caput eius. Qua flens suspexit ad cælum, &c. Ecce tibi vocatur Susanna à pessimis iudicibus, venit illa inter cognatos, & filios, cooperit se velamento, sistitur iudicio, velamento nudatur, patitur impias manus iudicum super caput, & interea nec verbum facit, nec vocem emittit, quæ nefarios perterrefaciat, nec fulmen petit à Deo, sed tantum flens suspicit ad cælum. Cur non magis clamas? Cur rem detestabilem non publicas? Cur non fundis preces ad Deum veritatis testes? Sanè non inefficaces fundit preces, quæ verecundia consulens eligit tacere. Pulchre enim ait D. Amb. lib. 1. officior. 18. Tacebat in periculis Susanna, & grauius verecundia damnatum esse putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui. Equidem dum rem ad Deum refert, efficacissimum elegit medium, nimirum verecundia vitam posthabere. Verecundam se ostendit Deo, qui nouit verecundia linguas persuaderi.

Ambr.

Numer. 27. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israël. Cumque videris eam, ibis ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron, quia offendistis me in deserto Sin, in contradictione multitudinis, &c.

§. II.

*Non paruum Deus beneficium confert homini, cui causas ostendit suorum iudiciorum.*

Componere denuntiationem mortis Aaron; vterque iubetur ire in montem. Moysi enim dicitur: Ascende in montem Abarim; de Aaron dicebat supra cap. 20. Ducas eum in montem Hor. Sed & de eodem dicit: Moriatur ibi. De Moysen autem, ibis ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron. Insuper & causam mortis addit aien: Quia offendistis me in deserto Sin. At dum de Aaronis morte loquitur, solum dicit: Moriatur ibi, nullam causam ostendit ei tantæ sententiæ; Moysi autem & mortem, & causam eius annuntiat. Cur ergo potius Moysi, quam Aaroni mortis causam explicat? Inde sanè Procopius Moysen magis commendat, vt qui in eo potior existat, quod Deus illi & iudicium mortis ostenderit, & causam simul iudicij reddiderit. Potior Aaronem Moyses, ac proinde terram videt, & causam, propter quam indignus habitus, vt ingrederetur, comperit. Sicut Paulus quoque causam discit; cur gratiam non in remedium stimuli sit adeptus. Et quidem quod absolutissimus Dominus sic familiariter agat cum seruo suo, vt illi suorum iudiciorum, siue in bonum, siue in malum, causas ostendat, magnum est beneficium, & quod solum conferatur potioribus viris. Sic Moysi mortem denuntiat, & causam reuelat, nimirum purgationem alicuius delicti; sic Paulo stimulum carnis permittit, quo colaphizetur, & causam simul aperit, vt perficiatur eius virtus. Quis enim pro magno beneficio non habeat, quod diuini iudicij in se exerciti causa sibi à Deo explicentur? Hinc post dolorum, tormentorumque tempestates, post amicorum aculeata verba Dominus Iobo apparens cap. 40. illi suarum ærumnarum causas dicit. Aiunt enim Septuag. Putas autem me aliter tibi respondisse quam vt appareas iustus? Ecce tota causa laborum Iob explicatur fuisse, vt appareret iustus. Quid tunc? In hoc solo quod causa luctæ ei reuelatur, non paruum putant plurimi esse præmium ipsius luctæ. Ait Nazianzen. orat. 21. in laudem Athanasij: In fine certaminis illustri præconio athletam suum, victorem pronuntiat, atque afflictionis arcanum aperuit. Num hæc censes, inquit, me aliam ob causam in te deuenisse, quam vt iustitia tua illucescat? Hæc vulnerum medicina, hæc certaminis corona, hæc patientia præmium. Et quidem quod tantæ tempestatis arcana causa ostendatur Iobo, non paruum præmium fuit patientia illius. Hæc enim vna causa reuelata vniuersos malorum

Procop.

Iob 40.

Nazianzi

rum

Aug.

Zeno.

Ambr.

Chrysof.

rum dolores sopiuit. Vt dicat D. Chrysof. hom. 5. in Iob. Cum dignatus est amator hominum Deus dicere ei certaminis huiusmodi causas, quod uti iustus appareas, contra te hac permissa sunt, sic respirauit, quasi ex illis malis nihil iriste sensisset. Lenit enim mirum in modum mala omnia Dei benignitas, qua sic se deicit erga suos, ut illis iudiciorum suorum causas communicet.

## §. III.

Maximè implet hominem, quod videat oculis laborum suorum fructus.

Exod. 24.

Chald.

Ierem. 23.

Septuag.

Eccles. 5.

Olymp.

Prenti Moyfi ingressum in terram p. missionis iam vicinam, concedit Dominus, non ut ingrediatur, sed ut claro intuitu cernat illam. Ait enim: *Ascende in montem istum Abarim, & contempera inde terram, quam daturus sum filiis Israël.* Fecit enim Deus supernaturali sua virtute, teste Abulensi in presenti, ut positus Moyses in cacumine montis illius, clare, & distincte cerneret terram promissam, fertilitatemque & amoenitatem illius. Et quantum fuit hoc ad Moysen, quod solum videat terram illam? Equidem maximum illi ex temporalibus bonum fuit, ut est maximum bonum, & quod maximè homines implet, quod videant oculis laborum suorum fructus. Multum diuque laborauerat Moyses pro acquirenda terra illa suis Israëlitis, quam ut vidit iam in vicino, simul vidit completionem laborum suorum, ex quo sic gauisus, quasi illam iam percepisset. Exod. 24. *Ascenderunt Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël, & viderunt Deum Israël. Sub pedibus eius quasi epus lapidis sapphirini, & quasi cælum, cum serenum est. Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt, &c.* Itaque vocati ad montis cacumen seniores isti, ascenderunt alacriter, ibique hostiis cæsis sacra peregerunt, & statim se se illis ostendit thronus diuinus, super quem Deus apparuit. Viderunt illi, & thronum & Deum, & comederunt, & biberunt. Quis non putet absurdum, quod inter videndum Deum in throno suo meminerint potus, & cibi? An qui tanto spectaculo fruebantur, potuerunt vacare conuiuio? Non dicuntur comedisse, eo quod realiter comederint, sed videntes suorum sacrificiorum fructum in ostentatione illa throni diuini, sic impleti sunt, quasi comedisent, & bibissent. Ait Chaldaeus ibi: *Es gauisi sunt in sacrificiis, qua accepta fuerunt, quasi comedisent, & bibissent.* Sic implentur homines ex eo, quod videant suorum laborum fructus. Quo spectans Ierem. cap. 23. ait: *Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino, à facie Domini, & à facie verborum sanctorum eius.* Videbat equidem propheta verba Dei à se in malos, & impios prolata executioni mandari, qua impij puniebantur, & bonorum impedimenta tollebantur, qui ut erat prophetiæ suæ, laboris sui fructus; sic implebat hominem eius visio, quasi multum vini bibisset. Vel si maui, Septuaginta legunt: *Factus sum quasi homo captus à vino à facie Domini, & à facie gloria decoris eius.* Ut ipse multis laboribus gloriam Dei quærebat, videns hanc Dei gloriam in mundo coalescere, & suis laboribus excitari, sic inde afficiebatur, quasi in cellaria cœlestia introductus esset. Sic implentur homines de viso fructu laborum suorum. Quod etiam in temporariis hominibus apparet. De quibus locutus Ecclesiastes cap. 5. ait: *Vbi multa sunt opes, multi & comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? Quæ ita leguntur ab Olympodoro: Multitudine bonorum multiplicati sunt, qui comedunt ea. Et qua virtus ac fortitudo possidenti bona? Principatus est illi, ut videat oculis suis.* Hinc se principem reputat, regalibusque mensis assidentem, si tantum videat fructus bonorum sibi augeri. Ait enim Olympiod. ibi: *Qui sic impudenter auari sunt, hoc sibi tanquam bonum summum proponunt, ut inter pocula patinasque versentur, ut spectaculo fruantur, quas congersere, pecuniarum. In multitudine ergo bonorum, hoc est, in affluentia pecuniarum, qua illis assidue multiplicantur, gestiunt non secus, ac si bonis illis, pecuniisque vescantur.* Non egent alio, quàm quod spectaculo bonorum authorum fruantur; si ab industria, & labore suo videant parturiri pecunias, sic hac visione gestiunt, quasi regalibus escis impleti sint. Nemireris, quod & bonos impleant laborum suorum visi fructus.

Numer. 27. Cui respondit Moyses: Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante nos, & deducere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.

## §. IV.

Suspectus est de carnali affectu, qui multus est in promouendis cognatis, & amicis.

Quærens throni successorem Moyses ex Deo, illum peculiari compellat & nouo vocabulo, nimirum Deum spirituum omnis carnis. Ait enim: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, &c.* Nunquam aliàs Moyses Deum sic appellauit; appellabat enim Deum patris mei Abraham, vel fortissimum Deum, vel aliter; nunc autem dimittens illa omnia nomina, nouum quoddam affingit vocans Dominum Deum carnis. Cur modo Deum inuocat sub hoc inusitato nomine, ut dicatur Dominus Deus spirituum? Agens de throni successore, nec memorans amicum vllum, aut cognatum, merito compellat Deum spirituum, ut testetur quam liber procedat ab omni affectu carnali. Ille enim solus gloriari potest se sub domino Deo spirituum agere, liber ab omni affectu carnali, qui amicis, cognatisque promouendis operam non nauat. Pulchre hic aspiciet Philo in presenti factus: *Erat Moysi amicus, & familiaris pene à puero Iesus nomine non vulgaribus conciliatus artibus, sed amore integro cœlestique, ex quo omnes virtutes proueniunt. Is etiam conuictor, contubernalis propheta fuit. Idem administratio- nis Reipublica particeps, & tantum non principis vicarius. Attamen quum sciret hunc esse diu spectata probitatis hominem, dictis factisque honestatem eius expertus, nec sic quidem ausus est ei principatum committere. Itaque nec sibi ipsi credens supplex inuocauit Deum, qui solus inuisibilem animam introspicit. Sublatisque ad cælum puris, & virgineæ, ut ita loquar, castitatis manibus sic precatur est, &c.* Quid sapientius? Expende illa: *Sublatis ad cælum puris, & virgineæ castitatis manibus; tunc cum in munere dando, non memorat amicum, & amicum fidelissimum, summæ & expertæ præstantiæ hominem, dicitur, puras, & virgineæ castitatis manus in cælum sustulisse. Solus enim ille debet censeris purus, & virgineæ castitatis homo, qui in muneribus distribuendis scit obliuisci amicos. In quo enim non carnalis, sed spiritualis, & purus dominatur amor, non præualet cæteris affectus amicorum Ioan. cap. 13. audet, & dicit: *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Amabatur enim Ioannes à Iesu, multaque dilectionis teneritudine in sinum recumbens excipiebatur. Et hic tam amatus tam tenere dilectus præ cæteris, quid apud Iesum præ cæteris habebat? Ait D. Chrysof. hom. 32. in Ioan. *Quin eximie Ioannes à Christo diligebatur, ambigit nemo, non tamen neque loquendo, neque rogando præcipuam quandam apud Iesum auctoritatem habuisse apparet, ut sepe numero Petrus, ut Philippus, ut Iudas, ut Thomas, nisi semel tantum cum obsequi condiscipulo voluit; nam cum ipsorum princeps ei innuit, tunc Iesum, qui illum esset traditurus, rogauit. Sic valent amici apud eum, in quo carnalis amor esse non potest; ut vel eximie dilecti nullam præcipuam auctoritatem aut loquendo, aut rogando præ cæteris habeant, nec dominationem. Ut tu colligas, qualis sit illorum affectus, qui sic subiiciuntur amicis, ut nihil sciant velle, nec cogitare, quod non faciat ad prælationem eorum.**

## §. V.

Cauendus est omnis carnalis respectus in designandis iis, qui regant homines præstantes virtutibus.

Merito ad successoris electionem vocat Moyses Deum, ut author est spirituum; ait enim: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, &c.* In eo enim, qui eligit rectorem hominum virtute insignium, nullus debet apparere carnalis respectus, quasi solus in eo, & ab eo possit apparere spiritus. Hinc interrogatus Moyses, cur ipse non eligat successorem,

**Philo.** successorem, sed rem ad Deum spirituum autorem remittat. Respondet ad Philonem: *Aburdum fuerit arbitrato meo successorem eligere, ne hominum quidem expectatis suffragiis: presertim cum agatur de regimine gentis non vulgaris, professa rem maximam, cultum eius, qui pater conditorque rerum omnium.* Merito, & se, & quemcumque aliam hominem excludit in eligendo eo, qui regat gentem non vulgarem, sed deditam cultui & religioni omnipotentis Dei. Qui enim hunc eligat, omni debet purus esse affectu carnali, quasi totus spiritus factus. Similiter Apostoli post Christi Ascensionem, ante aduentum Spiritus Sancti Act. 1. ubi agunt de eligendo Iudæ successore in Apostolatu: *Statuerunt duos; Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus; & Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex iis duobus unum, accipere locum ministerij huius, & apostolatus, de quo prænarratus est Iudas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, &c.* Possent equidem Apostoli eligere illum: at maluerunt rem vni Deo committere? At cum postea ipsi per impositionem manuum multos alios episcopos, & presbyteros designarent, cur modo cauent designare successorem in Iudæ Apostolatu? Modo nondum venerat Spiritus sanctus super illos, nondum erant omnino transformati in Spiritum, ideo merito cauent eligere hominem, qui rector sit gentes sanctissimas, quales inueniebantur in Ecclesia primitiua. Ait D. Chrysof. hom. 3. ibi: *Quoniam non erat spiritus, sortibus rem peragunt: Nondum iudicauerunt sese esse idoneos, ut ipsi ex se facerent electionem.* Res mira! Apostoli illi Christi commensales, qui per Christi insufflationem, spiritum ante ascensionem eius acceperant, quia nondum venerat sanctus Spiritus, quo penitus quasi spiritus fierent, non se putant idoneos, ut eligant hominem, qui dicatur Deo gentes regat. Et est homo, qui plenus carnalium affectuum, qui nihil respiciens nisi carnem, & sanguinem, Prælatos, & sacerdotes eligat ad regimen Ecclesiæ? Sanè talium electio non vllò carnali respectu, sed magno spiritu hausto ex Deo faciendâ est. Hinc de ipso Iesu Dei filio ait Luc. cap. 6. *Factum est autem illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit.* Sanè ipse Dei filius non prius ad electionem venit Apostolorum, quam ad montem ascendat, ibique pernoctet in oratione Dei, quasi spiritum trahens è coelis. Non equidem ipse hoc egebat: sed docebat ex tunc, à quibus, & qualiter erant electiones spiritualium munerum faciendæ. Ait enim Theophyl. ibi: *Post orationem autem elegit discipulos, ut doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, ut doctis à Deo, & ab illis petentibus reuelet, quis idoneus sit.* Quidquid hominis est, quidquid carnis est, seponi debet, & de solo Dei spiritu per orationem hausto producere debent, qui personas eligunt, quæ dicatur Deo mentes vtiliter regant.

**Numer. 27.** Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudo, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiatur eum omnis Synagoga filiorum Israël: Fecit Moyses, ut præceperat Dominus, &c.

§. VI.

*Manus diuina largissima super omnes creaturas ad beneficia præstanda.*

**EX**pense, quod dicitur Moyfi, nimirum: *Dabis ei præcepta, & partem gloriæ tuæ:* & similiter expense, quid petebat Elisæus ex suo antecessore Elia abeunte 4. Reg. 1. videlicet: *Fiat in me duplex spiritus iste tuus.* Elisæus nō est contentus, si accipiat totum spiritum Elia; sed insuper duplicatum petit; & Iosue pars solum gloriæ Moyfi præcipitur dari. Et cur Iosue pars sola mandatur, & Elisæo duplicatus spiritus speratur? Differentia veniebat ex manu dantis, dicitur enim Moyfi: *Dabis partem gloriæ tuæ,* hoc est, tu ipse, manu tua propria dabis ne miremur, quod de manu hominis, de manu creaturæ nil

plenum habeatur. Quod cauens Elisæus in petitione sua nil prius cauit quam Elia manum, non enim dicit: *Da mihi, vel, fac mihi,* sed, *fiat in me,* ut fugiens creaturæ manum, de Deo possit non solum integra, sed & duplicata bona sperare. Et quando Dei manus non est largissima in donis præstandis? Ioan. 2. nuptiali conuiuio accumbit Iesus, defecit vinum. *Erant autem ibi lapideæ hydræ sex posite secundum purificationem Iudæorum, capientes singula metretas binas, aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua, &c.* Sanè & vasa vini vacuata erant, quæ minora erant; cur Dominus vinum daturus non magis iubet impleri aquis minora illa vasa, quæ pro vino excipiendo aderant? Cur minoribus iis dimissis hydras illas sex ingentes impleri mandat? Ut Deus ipse erat, dabat; sic id ostendi voluit in superabundantia. Aiebat Sedul. lib. 3. Paschali cap. 1.

*Mensasque per omnes  
Dulcia non nato rubuerunt pocula vino.  
Impleuit sex ergo lacus hoc nectare Christus,  
Quippe ferax, qui vitis erat, virtute colona  
Omnia fructificans.*

Expende illam feracissimæ abundantia causam, videlicet: *Quippe ferax, qui vitis erat.* Vbi enim vitis erat Christus, non poterat non largissimos præbere fructus? Quid est ad Dei manus, quod vas porrigat, nisi & lacus, & cellaria impleat, quibus ditetur mundus? Quo spectans sponsa ait Cant. 1. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Non enim est Deus, qui de hominum more poculum vini propinet; sed integram cellam, apothecam integram communicat. Nescit parum dare manus diuina. David Psal. 1. aiebat de iusto homine: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hoc præstantissimum habet homo iustus, quod tempore suo det fructus. At Ezech. cap. 47 aiebat: *Et super torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiua, quia aqua eius de sanctuario egredientur.* Vide quam differant lignum, & lignum; lignum Dauidis, & lignum Ezechielis. Vtrumque dat fructum, sed Dauidis lignum dat fructum tempore suo, non per totum annum, sed est pars anni, quæ ferat eius fructum, & est pars sine vllò fructu; & maior est pars sine fructu, quam cum fructu. At lignum Ezechielis per singulos menses afferet primitiua, per integrum annum est cum fructu, nescitque in aliquo tempore non præstare fructus abundantissimos. Et vnde tam ferax fructuum istud lignum est? Ait ipse vates, quia aqua eius de sanctuario egredientur, vbi de sanctuario, in quo principaliter adest diuinitas, viuit, non multum est, quod per integrum annum suos communicet fructus. Nescit enim diuinitas dona partita, ut alibi diximus.

§. VII.

*In solis bonis spiritualibus æstimanda copia.*

**M**irabar, quod sola pars gloriæ Moyfi detur Iosue, dum ait: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ:* quando Elisæus nec tota gloria Elia fuit contentus. Sed postulabat duplo maiorem 4. Reg. 5. *Fiat in me duplex spiritus iste tuus.* Et cum Elisæus duplicem petat, quando Iosue non datur tota, sed pars magistri gloriæ? Cur Iosue in parua parte contentus, & Elisæus non nisi in duplo maioribus? Quæstionem conficit Galfridus apud Tilmanum: *Prudens discipulus Elisæus, qui non nisi spiritum postulabat.* Res erat cum Moyse de temporali principatus honore, ut docet Abul. ibi; ideo non miror, quod de temporalibus sufficiat Iosue parua portio. Cum Elia autem agebat Elisæus de spiritualibus bonis, & ut sola spiritualia respicit, sic in illis æstimat copiam. Prudentibus enim viris tantula temporalium debet sufficere portio, qui in solis spiritualibus abundare volunt. Hinc Luc. cap. 1. dicit: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Erat ciuitas parua hæc, & est valde notandum, quod veniens Deus in mundum eligat sibi patriam, & paruam, & ignobilem, cum potuerit assumere Ierosolymam. Cur Deus, qui celum amplissimum fabricasti pro habitaculo, modo eligis adeo paruam habitationem? Sanè diuina menti ut pro æternis non placuit nisi amplissimum quodque, sic pro temporalibus paruam æstimauit portionem. Quo respiciens D. Ber. ferm. 3. in Annunt. ait: *Mirari, quod Nazareth parua ciuitas, & tanti regis nuntio illustretur, & tanto? Sed magnus latet in hac parua ciuitate thesaurus. Nouit celum unigenitus Dei patris. Sed nouit celum, nouit & Nazareth. Celum ex patre, Nazareth ex matre sibi*

*sibi vindicauit.* Ex parte, inquam, ex quo æterna habebat, non paruum, sed amplissimum, & fere immensum cœli sibi vendicauit spatium; ex matre autem, ex qua temporalia spectabat, non magnum, sed paruum elegit habitaculum. Implent diuinas mentes de temporalibus parua, de spiritualibus autem minime illis nisi copia placet. Sic Dei amatrix clamabat Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Septuag. *posuere: Osculetur me ab osculis oris sui.* Ut enim Dei spiritum quærebat, qui per osculum sanctum communicatur, sic minime in vno quiescit, sed plura flagitat. Ait enim D. Ambr. lib. 1. de Isaac, cap. 3. *Qua enim diligit Deum, non est vnius osculi paritate contenta, sed plura exigit, plura vindicat.* Denique illa in Euangelio sic probata est, quia non cessauit, inquit, osculari pedes meos. Et quidem nulli sapienti spiritus diuini recipiendi debet placere paritas, quæ si placeat, vix potest esse nisi à malo. Nequam ille diues Luc. 16. clamat ad Abrahamum: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Vide quam paucis, de cœlestibus bonis, contentus sit malus, & idè malus, quia sibi putabat sufficere vel guttulam vitæ spiritualis. Ex quo feliciores monebat D. Nazianz. orat. 9. aiens: *Nec cum Lazaro agamus, ut flagrantem nostram linguam extremo digito refrigeret, ac ne id quidem impetremus.* Non equidem est hominis foelicis, quod tam paucis honorum spiritualium guttulis contentus appareat, de quibus quo maior copia, eo salutarior. Sed misera temporalitatis mancipia eo contenta sunt, si pro spiritualibus, aquæ benedictæ guttula aspergantur. Et morti appropinquant, & cætera fastidiunt, & in hoc sibi blandiuntur de salute, si lectum irroret benedicta aqua.

## §. VIII.

*Quidquid honoris, vel substantia egentibus datur ex Dei charitate, non deperditur.*

**A**d huc videnti Moyfi mandatur, quod de sua gloria præstet Iosue, ait enim: *Et dabis ei partem gloria tua.* Cur Deus vis, quod viuente adhuc Moyse, eius gloria minuatur? Vel cur tu Domine, non magis istam partem gloriae Moyfi auferas, & illam Iosue tradis? Electurus Dominus alios iudices Numer. 11. aiebat Moyfi: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentet tecum populi onus.* Ecce tunc dixit, quod ipse auferet de Moyfi spiritu, & ipse tradet aliis; at in præsentia, nec ipse aufert, nec tradit; sed dicit Moyfi, ut det. Et cur Moyse det, & non magis Deus? Non sufficit, quod pars gloriae Moyfi eripiat; sed insuper additur, quod ipse illam sibi auferat, & det aliis propria sua manu? Absit, ut Moyfi nec pars gloriae eripiat, quin potius ut tota illi integra maneat, petitur ex illo, ut partem eius tribuat Iosue; quidquid enim aut gloriae, aut honoris, aut substantiæ datur egenti, minime perditur, sed totum integrum manet tribuenti. Quod tibi gloria integra maneat, quam aliis communicas, ostendit illud Ierem. cap. 7. ubi carpens Idololatriam Iudæorum ait, *Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Regina cœli.* Nimirum, ut faciant placentas Lunæ, iuxta D. Hier. & D. Thomam, iuxta quorum sententiam, tam in præsentia, quam aliàs sæpe Luna vocatur hoc regio nomine, Regina cœli. Et mirandum est, quod sol qui lucidior longe est, non dicatur in scriptura Rex cœli, & sola Luna hanc adeptam sit appellationem. Cur Regina appellatio sic Lunam extollit, quando Soli non datur regis nomen? Sol nullum admittit ad sui splendoris communionem, nulli concedit, ut secum lucere possit, & sic dum solus lucet, non potest esse rex sine populo. Luna autem ut dat multis aliis syderibus, quod secum luceant, secumque appareant in proportionali gloria, tantum abest, ut inde sibi aliquid detrahat, quod potius inde sibi integrum feruet regni honorem. Nunquam enim non cedit in gloriam principis, quod ipse aliis concedat esse in honore. Vnde Iudæis per Antiochum priuatis regno, & honore sacerdotij, Romani vtrumque restituerunt, petita sola tributi alicuius pensione. Quod memorans Titus Imperator apud Egesip. lib. 5. cap. 46. ait: *Quid Antiochiregnum memorem, qui vos graui- bus suppliciis affecit? Ius quoque ipsum euersum religionis, nos ipsi vobis restitimus, gloriosius arbitantes imperare regibus, quam regnum tollere.* Potuerant Romani Iudæorum regnum ab Antiocho vastatum sibi assumere, radentes memoriam Davidicæ, Zorobabelisque domus. At id minime voluerunt, sed Iudæis regnare secum permiserunt, quod putabant pertinere ad integrum Imperij sui decorem. Tunc enim cum aliis communicatur, manet integra cuique sua gloria. Quid de substantia dicam? Ea sanè talis est, quæ si egentibus detur,

perdi non possit. Habes ex Matth. 29. vt mulier accipiens alabastrum vnguenti pretiosi illud effudit supra caput Christi Domini, quare commoti discipuli vno cœperunt dicere ore, *Vt quid perditio hac? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Felix vnguentum, cuius perditioni resistunt omnes Apostoli; nullus est in choro Apostolico, qui non stet pro isto vnguento, ne perdat. Sed cur adèd cauetur ab Apostolis perditio huius vnguenti? Videbant in illo, ut egentibus communicari posset; vnguentum autem, quod ex charitate in Deum, illis pietatis seruit operibus, quæ egentis ministrant bona, longissime abest à perditione. Ait D. Ber. ferm. 12. in Cant. *Videsne, quam sit præferendum cæteris istud pietatis vnguentum, de quo solo permissum non est perditionem fieri? In tantum de ipso perditio non fit, ut nec aqua frigida munus irremuneratum maneat.* Sic quod datur egeno, perdi nequit; sed integrum manet illud tribuenti.

## §. IX.

*Illud regalissimum in principe est, quod sic vni tribuat, ut nulli alij officiat.*

**V**ide regale documentum datum Moyfi, nimirum: *Dabis ei partem gloria tua.* Quando promouere debebat Iosue, & honoribus illustrare corâ populo; hoc illi iniungitur, ut de suo honoret, ne aliis eripiat, aut gloriam, aut honorem, quem tribuat Iosue; sed ipse de sua gloria partem illi præbeat non modicam. Quod vt regalissimum est, sic suo imperatori attribuit Plinius in Panegyri. Traiani, aiens: *Quocirca nihil magis in tota tua liberalitate laudauerim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi ciuium, ut ferarum catuli sanguine, & cadibus nutriuntur: quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum.* Hoc præstantissimum in principibus est, quod de suo tribuant, quod nemini eripiant, quæ alij tradant, quod non necessum sit alium detrudere, ut vnum exalcent. Ut transiret Israëlita diuisum est mare: ait enim Exod. 14. *Cum extendisset Moyses manus super mare, abstulit illud Dominus, & vertit in siccum, & diuisa est aqua.* Et ingressi sunt filij Israël per medium seci maris. Longe aliter in Euangelio Ioannis cap. 6. *Vident Iesum ambulans super mare, &c.* Illis scinditur mare, & loco cedit, ut transeant; Iesu non scinditur mare, non loco cedit elementi, sed manentibus in suo loco, & naturâ aquis, ipse super illas ambulat. Sed cur Iesu, ut Israelitis non scinditur mare? Vel cur Israëlita, ut Iesus, non ambulant super aquas? Illi erant serui, hic vere Dominus; illi subdit, hic princeps; cuius est, nullum à loco deturbare, ut alij beneficiat. Ait D. Chryf. hom. 42. in Ioan. *Transferunt duce Moysse mare rubrum Iudæi, sed magna differentia: ille tanquam seruus supplicando, Iesus propria, & absoluta potestate mare transiit. Illi Austro tunc spirante paruis aqua, & aridam præbuit transiuntibus, Iesum nil à sua natura motum mare, ut Dominum admirabilius perculit.* Expende hæc vltima, nimirum: *Iesum nihil à natura sua motum mare, ut Dominum admirabilius perculit: quippe hoc maius erat, & mirabilius, & vero Domino dignius; quod ut suis faueret Iesus, sic pergeret, ut nulli damnum permetteret, nec cogeret loco cedere elementum.* Ut feruilius erat status Iudæorum, sic feruilliter, non regaliter agitur cum illis, ut salutem accipiant de rupto mari, de damno fluctuum. Ut autem dominum, & regem agebat Iesus meus, sic cauit commodum afferre sui damno alicuius naturæ. Non enim est principis, sed tyranni, de alterius damno procurare honorem alicui. Hinc post Iesum, & duos latrones crucifixos ait Ioan. cap. 19. *Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) ut non remaneret in cruce corpora Sabbatho, (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Quale hoc facinus Iudæorum, ut honorarent Sabbathum, dolorum acerbiter auge-re contendunt crucifixis? Sanè hæc gratia cum tanto damno miserorum, à solis Iudæis pessimis, & deploratis tyrannis posset deuenire. Ait D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 38. *Honorant magnum illius Sabbathi diem, qui magna diei Dominum crucifixerunt. Itaque gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem. Crura enim eorum frangerunt: ut magnitudine doloris, citius morerentur.* Expende illa: *Gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem; quippe ut Pilatus Princeps erat non illi conueniebat gratiam dare pro honore Sabbathi, cum tanto miserorum discrimine: solis equidem Iudæis perfidis, & peccati mancipiis poterat hæc gratia conuenire, ut honor diei præstaretur de Iesu innocentissimi supplicio. Hæc enim gratia facinorosorum est, non principum.* Quo spectans Theodoricus

Cant. 1.

Ambr.

Luc. 16.

Nazianz.

Num. 11.

Ierem. 7.

Egesip.

Matth. 26.

Bernard.

Plin.

Exod. 14.

Chrysof.

Ioan. 19.

Cyrill.

Cassiod.

Sid. Apol.

ricus apud Cassiodorum 2. var. 17. inquit : *Magnificentiam nostram nulli volumus extare damnosam , ne quod alteri tribuimus alterius dispendiis applicetur.* Sic etiam decernunt Principes, l. 40. de admitt. & peric. ubi aiunt : *Nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris nostri est.* Ut merito querantur Auernorum populi apud Sidon. Apollinar. lib. 7. epist. 7. *Facta est seruitus nostra pretium securitatis aliena : quasi hanc iustam haberent de suis principibus querelam , quod eorum damno commoda aliis deferrent.*




CAPVT XXXII.

Madianitarum castigatio.

Textus Historia.



**I**NAVGV RATI Principis Iosue virtutes ardentius colerentur à popularibus, si in eius recenti purpura properantem Moyſis disceſſum non cogitarent. Interea venit Dei imperium ad Moyſem, vt lectis iuuenibus extremam Madianitarum ruinam adoriatur, qua miseri luant pœnas de præmiſſo Iſraëlitis scandalo. Nec mora ; quot tribus, tot lectiſſimorum virorum millia virtute, & armis præſtantia proſiliunt in certamen. Aderat illis Phinees pro inſtituendis in exercitu ſacris, ſed dux erat Iosue, cuius nota virtus, dum ageret inter priuatos, properabat ſpecimen præbere principatus. Viciffe fuit prima congreſſio pugnantium ; trucidatiſque Madianitis viris, ſpoliatis urbibus, captiuatis ſœminis, & glorioſam, & diuitem victoriam reportarunt. Quinque reges perhibentur occiſi, & veneficus Balaam, quem ſua cõſilia traxerunt in Iſraëlitum gladios, vt in eorum ſcandala traxerant. Vnum fuit in tanto triumpho, quod pauliſper moueret Moyſis animum ; videbat enim ſœminas ereptas morti, quæ tot ſuorum animas iugulauerant. In has iubet denuo armari milites, qui ſolis virginibus parcant, ne aſſuetæ viris ſœminæ nouam inurant Iſraëlitis maculam. Ventum eſt ad diuitias prædæ, quæ populoliſſimam nationem diſtributæ ditarunt. Sed illud inter duces cantatiſſimum ſplenduit facinus, qui mirati victoriam ſine vilo ſuorum partam ſanguine, quidquid auri prædari poterunt, id totum deſtinarunt ſanctuario.



PARS VNICA MORALIS in textus literam.

**I**n gentes diuitias Iſrael rapuit de ruina Madianitarum, ſic nos indè etiam ſpiritualibus bonis virtutum curemus ditari.

**Num. 31.** Locutusque eſt Dominus ad Moyſem dicens ; *Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.* Statimque Moyſes : *Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint vltionem Domini expetere de Madianitis.* Mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſrael, qui mittantur ad bellum.

§. I.

*E mundialibus, nil tam cordi debet eſſe principi morituro, quam publica officia.*

**D**vo mandantur morituro Moyſi ; primum vidimus capite præcedenti, nimirum vt Iosue eligeret in principi Baëza de Chriſto figur. Tom. II.

pem, Iosue, inquam, qui à Ioseph genus ducit, vt quam gratiam per illum Patriarcham receperat Iſrael in Ægypto, referret eius nepoti, dum illi principatum adſcribit, vt notat ibi noſter Salius. Secundum mandatur in præſenti, vt Madianitarum auſus in populum caſtiget. Ait enim : *Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.* Hæc ſola cura mandatur morituro principi, quæ ſit in gratia habenda beneficiis, & in caſtigandis maleuolis Republicæ. Cur non magis morituro mandatur filiorum cognatorumque cura ? Vt filiis, nepotibus, cognatiſque diligenter proſpiciat ? Sanè principibus morituris non alia debet interſeri cura, quam ea, quæ ſpectat publica officia. Hinc D. Ambr. extollebat Theodoſium ſuum, cuius in teſtamento nulla filiorum memoria, ſed tantum disponebantur, quæ prodeſſent Republicæ. Ait enim orat. de eius obitu : *Glorioſus quoque in eo Theodoſius, qui non communi iure teſtatus eſt. De filiis enim nihil habebat nouum, quod conderet, quibus totum dederat. De ſubditis ſibi, & commiſſis teſtari debuit, vt legata dimitteret, commiſſa ſignaret, &c.* Commune teſtamentorum ius ſic diſponitur, vt parentes præcipue attendant filiis, & cognatis, & omnia diſponant in primis, quæ circa hoſ ſunt. Non ſic teſtamentum ſuum condidit magnus Theodoſius, quin glorioſius quid, & principe morituro dignius effecit, nihil pro filiis habuit, quod conderet, nullam illorum in teſtamento habuit curam ; totum teſtamentum, vt erat morituri principis ſignum, ſic ordinauit ad publica officia, teſtatus quæ debebat Republicæ. Huc aſſero etiam Dauidem regem, de quo ait 3. Reg. 2. *Appropinquant dies Dauid, vt moreretur, præcepitque Salomoni filio ſuo dicens, &c.* Audis Dauidem morti propinquum præcipientem Salomoni Regi futuro. Et quæ illi Dauid moriens præcipiebat ? Multos relinquebat Dauid filios, & filias, & cognatos multos, & vxores multas : forſan pro illis ſolicitus, quæ tot filiis, & vxoribus eſſent commoda diſponebat. Nonne hoc curant moribundi Patres familias ? Dauid autem moriturus hæc mandat : *Tu quoque noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruia, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner filio Ner, & Amaſa filio Iether, quos occidit. Facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos. Sed & filiis Bercellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua : occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſalon fratris tui. Habes quoque apud te Semei : deduces canos eius cum ſanguine ad inferos. Dormiuit igitur Dauid cum patribus ſuis, &c.* Ecce tibi, regi habenti filios plurimos, habenti vxores, habenti cognatos, quæ fuerit extrema cura ; non equidem filios meminit, non vxores, hoc ſatagit. vt gratiæ referantur probis ſubditis, vt ſupplicia reddantur malignis. Sic bono principi morituro, nil tam erat cordi, quam publicum officium. Vt dicat Iosephus lib. 7. cap. 12. *Hiſ mandatis filio de Republica, & amicis, & eis, quos punitos volebat, expirauit exactis ſeptuaginta annis.* Nulla cura moribundo fuit de filiis, aut vxoribus : hæc ſola tunc mandabat, quæ circa Rempublicam erant, in remunerandis bonis, & malis caſtigandis. In hæc ſola cura bonus rex animam exhalauit.

§. II.

*Exuat primo ſibi ſcelera, qui in aliis ea caſtigare velit.*

**T**andem aliquando Dominus vocat Iſraëlitas, vt caſtigent Madianitas pro filiarum proſtitutione, qua Iſraëlem in idololatriam traxerunt. Ait enim Dominus : *Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis.* Sed cur vltio hæc non ſumpta fuit, cum primum Madianitæ facinus peregerunt. Sanè tunc qui ex Iſraëlitis peccarunt, ſtatim pœnas dederunt, dicente Moyſe Num. 25. *Occidat vnusquisque proximos ſuos.* Cur & ſtatim non etiam indicitur Madianitis bellum, & mors illis inferitur ? Cur neceſſum fuit magis expectare occaſionem in iis perimendis ? Sapienter dilata eſt Madianitarum vltio, donec prius vltiores à peccatis expiarentur. Cum enim Iſraëlitæ in peccato, & ſcelere eſſent, prius ipſi caſtigari, & mundari debuerunt, vt ſic mundati ad vindictam procederent, quo certius Madianitas proſternerent. Habes Iud. cap. 20. vt Iſraëlitæ procedunt in campum vindicaturi nefarioliſſimum ſcelus Gabaonitarum, quo vxorem Leuitæ cuiuſdam ſtuprauerant. Semel & bis manus conferunt, & in nullo peſſimos ſcortatores lædunt, quin ipſi vehementiſſime læduntur. Tandem iterum procedunt in aciem : *Ingrauatumque eſt bellum contra filios Benjamin, & non intellexerunt, quod ex*

3. Reg. 2.

Ioseph.

Num. 25.

Iud. 20.